Flumina. Ho amnis originem habet prope Cinyun civitatem urbis Chucheu, inde urbem ad occaſum præterfluit, mox ad Lanki civitatem tendit.

Sexta Urbs

KIVCHEV.

KIucheu urbs ad orientalem ripam Changyo fluminis jacet, Fokien Provinciæ confinis eſt, ex qua in eam iter per montes eſt arduum admodum, ac difficile trium dierum ſpatio: M. Paulus Venetus Fokien Provinciam Fugui vocat, & hanc urbem Cugui. Tartari enim loco Cheu, Gui dicunt, unde facile ex Kiucheu, Cugui nomen à Veneto formatum: clarius id patet ex nomine urbis Quelinfu, ad quam ſuperatis montibus Venetus venit, eſt enim ingens urbs, quam Sinæ etiam nunc Kienningfu vocant, de qua agam in ſequenti Provincia. Eſt etiam hæc urbs Kiucheu hujus Provinciæ Auſtraliſſima, unde eam Venetus ultimam in Quinſai dixit. Ex his ergo noſtræ ſententiæ veritas aperta ſatis & probata videtur, nec amplius Europæis dubitandum de Catayo, Mangin, Quinſai aliiſque ſimilibus ignotis hactenus locis, in quorum Geographica deſcriptione, delineatione neque tanti hactenus commiſſi fuêre errores, & non pauci falſi Venetum, licet immerito, arguere ſunt conati. maneat ergo Veneto ſuus honos ac laus, quam meritus eſt, licet hinc inde nomina Tartarorum more mutarit, cum Sinice ea illi minime pronuntiarent, ſed de his plura adhuc infra.

Sub regibus hæc urbs, veluti antecedens, variam habuit fortunam: Cina familia poſt totam Sinam occupatam Taimo vocavit, Hana Singan, hodiernum nomen habet à Tanga; quinque præeſt civitatibus, 1 Kiucheu, 2 Lungyeu, 3 Changxan, 4 Kiangxan, 5 Caihoa.

Montes. Lano mons ad Auſtralem urbis partem jacet, in Taoxu libris ordine octavus. Civen mons prope Kiangxan civitatem originem habet, inde ad trecenta eoque amplius ſtadia excurrit: per hunc ad Fokien iter eſt, ubi multi iique difficiles ſuperandi montium vertices, maxime autem præruptus ac arduus Sienhoa dictus, quem ad cochleæ modum gradibus trecentis & ſexaginta ad faciliorem aſcenſum elaborarunt, totidem enim plana lapidibus ſtrata in eo reperiuntur: in vertice magnificum idolorum fanum eſt, ac tabernæ non paucæ, ubi cibus potuſque pro viatoribus parata ſemper annona eſt.

Prope Caihoa mons eſt Cutien, in quo tigrides, ac ſerpentes minime noxii vivunt: illæ cum alibi in circumvicinis regionibus ferociſſimæ ſint, hic ita manſueſcunt, ut nulli omnino noceant; ſerpentes vero veneno carent. *Serpentes ac tigrides minime noxii.*

Prope Caihoa lacus parvus eſt, Pehiai dictus, ab albis cancris quos producit, Pehiai enim Cancrum album ſignificat. *Flumina.*

Septima Urbs

CHVCHEV.

INgentes ac denſos montes includit hæc Regio, inter quos valles quam plurimæ oryzæ feraciſſimæ, cumque difficulter educi poſſit, viliſſimo ibi emitur pretio. Vrbs ipſa Chucheu, populo ſatis frequens, ad ripam Tung amnis jacet, per quem ad mare uſque navibus patet iter. Luci ac annoſæ pinorum ſylvæ hic imprimis circa præruptа ac nemoroſa loca ſpectandæ ſunt, ex quibus materiam pro domibus navibuſque fabricandis petunt Sinæ: ajunt ad civitatem Sunghiang, (hoc eſt pinorum terram) tantæ molis reperiri arbores, ut octoginta hominum amplexum earum craſſities ſuperet, imo & eſſe, quæ intra trunci cavitatem octo & triginta homines capiant. Jura dat civitatibus decem, 1 Chucheu, 2 Cingtien, 3 Cinyún, 4 Sungyang, 5 Suichang, 6 Lungciven, 7 Kingyven, 8 Junho, 9 Sivenping, 10 Kingning. Tria habet nobiliora fana: vaſa lutea ex paulo craſſiori quam porcellana terra, ibi fiunt ad plebeorum uſum. Regum temporibus pœne eandem ſortem ac locum cum ſuperiori habuit: Tanga familia Hocheu dixit, Taiminga hodiernum dedit nomen.

Hoçang mons ingens, in Taoxu libris ordine decimus octavus, trecenta occupat ſtadia; ejus altitudinem ad mille perticas ſcribunt pertingere Sinæ Geographi, verticemque nullis meteororum varietatibus eſſe obnoxium, à tonitru & pluvia ſecurum; incipit prope Cinyun, & ad mare uſque ſeſe extendit. in reliquis montibus nil admodum eſt notatu dignum. *Montes.*

Lung torrens ad occaſum Suichang incipit, inde urbem ad Auſtrum attingit, ubi Tung torrentem excipit, & fit Vonxa fluvius. *Flumina.*